

tamen accidens eius inseparabile. Unde haud facile quisquam ante obitum huius peccati reus est iudicandus.

§. XX.

Ademptam huic peccato remissionem quod attinet, certe eius causa non est DEI ἀδυναμία, quasi per suam absolutam potentiam hominem, qui tale peccatum committit, ad resipiscentiam immutare et sic blasphemiam illam ei condonare nequeat, contrarium potius docetur Luc. I, 37. Eph. III, 20. Neque ei remissio derogatur ideo, quod sua atrocitate misericordiam Patris aut meritum Christi exsuperet, hoc enim dicens aduersa fronte semet opponit Paulo, Rom. V, 20. Sed ideo potius hoc peccatum dicitur irremissibile, quia nunquam actu ipso remittitur, dum homines hoc peccatum peccantes omnia conuersionis media contumaciter reiiciunt, ac volentes conculcant unicum illam Christi hostiam, sine qua non datur peccati remissio. Cum ergo Ebr. VI, 4. 6. *dicitur impossibile esse hos peccatores renouari ad poenitentiam*, sua sponte hinc consequitur, eos etiam nunquam consequi remissionem. Quisquis enim Iesum Christum, pedibus conculcat et Spiritum gratiae contumelia afficit, consequenter omnia conuersionis media contumaciter reiicit ac volens conculcat unicum illam Christi hostiam, sine qua non datur peccati remissio, hunc certe iustum DEI iudicium indignum aestimat, cui conuertendo DEUS suam benignitatem & Spiritus S. operationem amplius largiatur, praepremis, quia *Filium DEI rursus crucifigit et ostentui habet; qua igitur ratione et modo renouabitur ad poenitentiam?* Ebr. VI, 6. Dum sine Christo, sine Christi hostia, sine conuersionis mediis diuinitus ordinatis nunquam potest dari reditus ad poenitentiam. Et hoc est, quod subinnuere voluit Iohannes aiens: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget* 1 Ioh. V, 16. Enim vero, ut bene ait *Hutterus* in LL. CC. p. 370. *Si quis pro talibus peccatoribus orandum esse censeret, is tam absurdus foret, ac si staret, orandum esse, ut DEUS aliquem sine Christo, sine vera resipiscentia, sine mediis ad conuersionem diuinitus ordinatis conuertat, quod est, plane*

plane